

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Volvntarivm Imperii Consortivm Inter Fridericvm Avstriacvm Et Lvdoovicvm Bavarvm Avgg.

**Köhler, Johann David
Baumann, Johann Friedrich**

Altdorfii, 1733

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-130795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130795)

tione Augustæ Dignitatis fuit Tempore prius, alterum vero de assumpto Friderico a Ludovico in Regni Societatem posterius extitit; Quo ordine observato utrique Pacto sua constat Veritas, suus servatur genuinus Honor, et penitus sublata est omnis altercandi materia.

V.

*Historia prioris
pacti Transmitti-
ni A. 1325. d. 13.
Martij de abdi-
cato a Friderico
Imperio.*

Nimirum cum Imperator Ludovicus se cum cogitaret iracundiam Pontificis Romani à se graviter offensi, ejusque in suum caput parata Dirarum Fulmina inevitabilia, adhæc Septemvirorum Imperii, inprimis Ecclesiasticorum, ad nutum Pontificis mutabilem animum dubiamque Fidem, et ante omnia Leopoldi Austriaci enixissimum studium pro Fratre Rege in libertatem vindicando, tanto cum periculo captivitatem Friderici, pro æmulo habiti, ulterius protrahere noluit, sed de eo dimittendo Consilium maturum cœpit, ita tamen, ut ipse solus retineret Dignitatem Imperialem, Fridericus vero eandem ejuraret. Suasore itaque impri-

imprimis CONRADO, *Priore Carthusianorum Ascetarum Monacensium*, quem ad sacras Confessiones sibi elegerat, ipse se in Trausnizianam Custodiam Friderici, sine ullo Strepitu atque Comitatu, protinus contulit, atque illi, adhibitis Arbitris, BERTHOLDO, *Comite Hennenbergico*, et DIETERICO PILLICHDORFERO, *Mareschalco Austriae*, tales Pacis Leges obtulit, in quibus omni Juri, si quod ad Fastigium Imperiale habuisset, in perpetuum renunciaret, traditis etiam Electionis Tabulis, et plane dimisso omni ambitu Regni futuro, sine ullo Dolo. Ob summam mentis ægritudinem, Carcerisque diuturnitatem, non aliter finiendam, consensit Fridericus, præsentia insuper inopinata ipsius Ludovici perterritus, in has duras Conditiones Libertatis recuperandæ, de quibus facta et scripta est in *castro TRAVSNICHT* notula, *die Mercurii ante Dominicam, qua cantatur Lætare*, qui fuit Dies XIII. Martii, atque hæc est, quam ex Archivo *Bavarico*, in Latinum sermonem versam, in lu-

F cem

cem emisit JOHANNES GEORGIUS HERWARTVS ab Hohenburg, Bavariæ Duci ab intimis Con-
 Confiliis, Præses Suabæ, et Bavariæ Ordi-
 num Cancellarius, in Ludovico IV. Imp. defenso
 contra Bzovium, ad A. 1325. §. 38. pag. 328. Conf.
 NIC. BVRGVNDVS in Ludovico IV. Imp. Lib. II. p. 91.
 et ADLZREITTER *Annal. Boic. Part. II. Lib. I. §. 60. p. 24.*
 Annum in Literis Reconciliationis prioribus
 non expressum indicat HAINRICVS, Monachus
 REBDORFFIENSIS æqualis, in *Annal. ad Ann.*
1322. in FREHERI Tom. I. Script. Rer. Germ. p. 612.
Anno undecimo (scilicet regni, quod iniit Ann. 1314.)
Ludovicus solus, exclusis omnibus Consiliariis suis occul-
te tractavit, et confœderavit se cum predicto Frederico
capto, ita, quod idem Fridericus, renunciaret Juri
Electiois sue, et Ludovico deberet assistere etiam con-
tra Fratres suos, et Juramentum ambo tractatus hu-
jusmodi occultos observare super Sacramento Euchari-
stie, quod ambo eadem hora receperunt, Missa coram
eis celebrata, et sic Fridericum à vinculis dimisit.
 Conferantur testimonia aliorum Historico-
 rum in §. VIII.

VI.

Hoc improbant
 Iohannes XXII.
 P. R. et Leopoldus
 D. Austria.

Sed FRIDERICVS in Austriam redux,
 non potuit LEOPOLDVM, Fratrem, cui ini-
 tio